

**Theses medicas / annuente gratia divina, consensu & decreto gratiosae facultatis medicae, praeside ... Elia Camerario ... publicae ventilationi exponit Joh. Daniel Rümelin ... ad diem [...] Februar. anno 1695.**

### **Contributors**

Rümelin, Johann-Daniel.  
Camerarius, Elias, 1673-1734.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tübingen : Typis Joh. Conradi Reise, [1695]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qatsv2sc>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# THESES MEDICAS

ANNUENTE GRATIA DIVINA,  
Consensu & Decreto Gratioſæ  
Facultatis Medicæ,

P R Æ S I D E  
V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo,*

DN. ELIA CAME-  
RARIO,

Med. Doct. & Prof. Publ. Extraord.  
Acad. Cæs. Leop. N. C. Coll. d. Hector. III.

*Dn. Patrono, Præceptore atq; Cognato suo  
æternim colendo*

Publicæ ventilationi exponit

JOH. DANIEL RÜMELIN,  
TUBINGENSIS,

*Ad diem Februar. Anno 1695.*

H. Lçß S.

---

Typis JOH. CONRADI REISL.

V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

DOMINO

ELIÆ RUDOLPHO  
CAMERARIO,  
PHILOS. ET MED. DOCT. PRAE-  
XEOS PROFESS. PUBL. ORDINAR. FAMIGE-  
RATISS. SERENISS. DOMUS WIRTEMB. CON-  
SIL. atq; ARCHIATR. GRAVISS. FA-  
CULT. SENIOR.

ac p. t.

DECANO SPECTATISS.

*Dn. Patrono, Praeceptoris, Promotori atque  
Cognato suo sanctè devenerando, colendo specimen hoc Me-  
dicum pro pluquam paternis exhibitis beneficiis in grati animi  
symbolum ulterioremq; sui commendationem.*

Dicat & consecrat

Devotissimus ac obstrictissimus

cliens

JOHANN-DANIEL RÜMELIN.

TH. I.

*In Pleuritide curanda in id sedulo incumbat Medicus, ut expectorationem promoveat, moneatq; agrum, ne ob dolorem tussim supprimat, facile enim postmodum Asthma quin & Empyema oritur; cautè hinc opiatis utendum.*



**E**o id diligentius ægris inculcandum, quo frequentius ob doloris vehementiam anxie tussim supprimere annituntur; Et non potest non exquisitus dolor comitari tussim, commotis hinc tensisque violentius nervis membranarum inflamatarum fibris, atque undulantibus inibi spiritibus; Monendi ergo ægri, ut dolorem tantisper ferant, & memorata in thesi mala graviora effugiant, neque enim vanus est metus iste; Propositus mihi nuper in Casuali Collegio ab Excellentissimo Domino Parente D. Præfidis, Facultatis Medicæ Seniore Venerando (cui vires Deus clementer augeat) habito, talis Casus. Laborabat vir ætatis consistentis pleuritide cum febre malignâ, ordinariis suis symptomatibus stipatâ, tussis erat vehemens at parca expectoratio subsequens mucicrassi, viscida, striis sanguineis tincti; cedebat medicamentis maligna febris, nec tamen ad votum succedebat sic dicta expectoratio; ægro tum à remediis eam promoventibus citò nimis abstinente, tum omni studio tussim, unicam excretionis istius promotricem, cohibente, auctum ergo decrescente jam morbo quòd per totum ejus decursum afflixerat asthma, tandemque suppressâ penitus puris ejectione in dextro thoracis latere Empyema successit.

Tantum fitum est in ejectione stagnantis fluidi qualitate

irreducibili peccantis, (noli ridere retinendum omninò vocabulum) neque dubitare licet ampliùs, si pleuristici præcordia attentius intueamur, sanguis enim viscidus (qualis pleuriticorum est) in eorum ambitu stagnat, transire scil. per capillaria mirisque intorta plexibus vascula lentore suo obstantè nequit, novòq; à tergo sanguine iteratis impulsibus urgente rumpuntur tenella vascula, lentusque sanguis in interstitia vasorum fibrarumque extruditur, sensimque ejus moles ab alluente sanguine augetur; Nec verò circularis solum motus sanguinis turbatur, sed & intestinus, acres scil. moleculæ sese evolvunt, calidæ sulphuræ libertatem nactæ humorem fragnantem in turgescentiam agunt, qui tum distendendo tum spicula sua intrudendo nervulos variè laceffit. Et quis jam non videt, præcordiis ita constitutis asthma necessariò, insignem respirandi difficultatem, atque angustias circa pectus oriri, si nullibi purulento humori exitus pateat? cum gravitas asthmatis gradusve mitior dependeat ab impedita magis minusve sanguinis per capillaria pulmonum vascula circulatione & transfluxu, qui liberè promptèque nequit contingere, nisi & sanguis ita sit dispositus, ut per incredibiles istas angustias intortorum mirè vasculorum transire, & aër vesiculas pulmonum, vasa fulciantes, ipsosque proin pulmones quâvis inspiratione sufficienter queat expandere. Hic verò non una solum ex his causis præstò est, sed plures concurrunt. Si enim concavam thoracis, eo in latere, ubi hæret abscessus, superficiem, ipsamque abscessus molem consideres, jam magna respirationis liberæ impedimenta ultrò deprehendes; cum enim quod ostensum modo est, alluens novus atque à tergo urgens sanguis inflammationem æquè ac tumorem augeat, pleura tandem adeò distenditur, atque versus thoracis cavitatem intumescit, ut partem illius spatii magnam occupet, quòd in inspiratione pulmones ab aère in ipsorum vesiculas, ampliato à musculis sublatoque thorace, vi sui Elateris & ponderis irrudente, inflati atque thoraci coexpansi replent, vicinus ergo pulmonis lobus, de negato spatio sufficienti nequit quâ omnes suas vesiculas expandi. Accedit verò ipsa puris in abscessu latentis

tis moles difficulter per musculos attollenda, sicq; Thoracis ne-  
 cessaria adeò ampliationem haud parùm impediens. Si pulmo-  
 nes porrò & quid in eorum ambitu fiat, dum pleuritis febrisq;  
 urget, contempleris, graviores adhuc & proximiores asthmatis  
 causæ sua se sponte offerent. Quàmvis enim hîc eam decidere  
 controversiam haud præsumam, quæ de subj. pleuritidis an  
 m. pulmones ad id referendi sint, agitur, quæ & in curatione  
 à Medico non adeò attenditur, nullus tamen dubito vicinum  
 laterisque inflammati lobum pulmonis pariter inflammatio-  
 nem pati, nec proin difficile est novam hîc asthmatis causam  
 reperire, stagnantem scilicet sanguinem atque ob inflammatio-  
 nem atque effervescentiam vascula passim rumpentem, effu-  
 sumque in vesiculas & bronchiorum ramulos, hâcque ratione  
 in illis obstructions cudentem, & remoram hinc tum vesicu-  
 larum expansioni, tum transfluxui sanguinis ponentem. Ac-  
 cedit ipsa sanguinis, quo scatent pleuritici, textura atque dis-  
 positio; cogita sanguinem vehementer in mixturâ suâ turba-  
 tum, à febris fervore lymphæ sua serosæque & diluente parte spo-  
 liatum, viscidum lentum, (si quis fortè de hoc dubitet, inspi-  
 ciat quæso effusum ex secta vena sanguinem, inductamque ipsi  
 crustam crassam, albam, lividam, viscidamque, & mecum ul-  
 trò sentiet) purulentum, suaque per viciniam abscessûs circula-  
 tione multum puris absorbentem secumque avehentem; Desi-  
 nes certè mirari, hunc sanguinem asthma producere, quî enim  
 humor lentus crassis suis & ramosis, cohærentibus portionibus  
 promptè vascula adeò exilia subire & fluere per ea queat, mo-  
 ram certè trahit quam par est longiorem, & anxietates eo ipso,  
 pectorisque angustias efficit.

Quam verò facilè, ex memorata ante thoracis constitutio-  
 ne, exitu puri denegato, Empyema oriatur id suâ luce radiat;  
 quorsum enim abeat collecti puris copia, via per pulmones, sup-  
 pressâ expectoratione nõ patente, tandem ergò thoracis cavitas  
 ejus receptaculum evadit, unde non nisi paracenthesi educi à  
 Medico valet. Qua autem ratione Empyema respirationem  
 adeò graviter lædat, id juxta cum aliis hîc spectantibus vid. in  
 Disp. Inaugur. Excellentiss. D. Præsid. d. usu Antliæ pnevma-

ticæ in Medicina. Superest ut tribus solùm verbis explicemus,  
 cur succedente ad votum expectoratione malis istis pleuriticis  
 haud facilè fiant obnoxii, l. saltem ab asthma faciliùs citiùsq;  
 liberentur? in promptu autem causa est, effunditur scilicet quod  
 supra suppositum in inflàmato pulmonis lobo acris, viscidusq;  
 & purulentus sanguis ruptis vasculis in vesiculas, hiantiaque  
 in istas bronchia, & dehinc aër fortiùs explosus à tussi, ab irrita-  
 tis continuò Thoracis musculis aliisque partibus vicinis oriun-  
 dâ, eum una secum ad superiora rapit sicque educit, obrutaq;  
 eo vascula & vesiculas liberat, Natura (quæ enim peccavit inno-  
 cens vocabulum, ut abstinendum ab eo idque penitùs proscri-  
 bendum sit) stagnanti quoque in pleuræ ambitu puri eandem  
 monstrat viam, resistunt tandem illæ fibræ à pure expansæ, idq;  
 suo se Elatere contrahentes retrò urgent, venæ corruptum hunc  
 laticem resorbent (aliam certè viam non novi) avehuntque, ut  
 appellens ad pulmones per rupta eorum vascula, nunc, sit ve-  
 nia verbo, puriveha, ejici forâs queat; liberat ergò expectora-  
 tio præcordia à gravi ipsis, molestoque pure & stagnante hu-  
 more. His prolixius paulò deductis, laborandum nobis non  
 erit in reddendâ ratione cur in hoc affectu opiatis cautè & cir-  
 cumspectè utendū sit. Sive enim effectus suos edant Narcoti-  
 co & peculiari sulphure, compedes spiritibus injiciente eosq;  
 ligante, sive gravibus suis & ponderosis moleculis mobilibus  
 spirituum humorumque massulis interpositis horum motum  
 liberiores impediant, sive illis nervorum oscula, spirituum  
 viam obturent, sive alia & occultâ qualitate agant, id saltem  
 extra controversiam est, tum humores ab iis incrassari eorum-  
 que motui impedimentum poni, tum spiritus fieri torpidos,  
 minus mobiles, stupore quodam & insensibilitate affici, ut  
 dolorificas impressiones non facilè percipiant. Sufficiunt verò  
 hi agendi modi ad opiatorum usum in pleuritide suspectū red-  
 dendum, eodem enim modo, quo expectoratio suppressa, pe-  
 riculum minantur, inferuntque; Quorsum enim hîc ulterior,  
 humorum viscidorum stagnantium incrassatio? Nec dolor tan-  
 ti fiat ut ejus gratia spiritibus torpor inducatur, sic enim ner-  
 vulis non ampliùs irritantia obj. percipientibus cessat excutiens  
 purulentum humorem gussis, fibræ thoracis robur suum to-  
 num.

nursque amittunt, neque amplius l. resistere affluenti vehementius ad inflammatam partem sanguini, l. attollere costas & expectorationem promovere valent. Suppetunt hinc mitiora, papaveracea, blandè spiritus afficientia & delinientia, opiatis fortioribus longè his in casibus præferenda.

Th. II.

*Qui Anorexiam Senum decrepitorum haud infrequenter obviam expugnare Vomitoriis satagunt, vehementer falluntur.*

Qui Senibus appetitu dejecto ciborumque nausea laborantibus Emetico remedio succurrendum censent, cruditates, corruptasve & inlentam abeuntes putrilaginem ciborum reliquias, hâc ratione educendas, accusantes, rem minimè pro ut in se est perspectam habere asserimus. Etiam si enim seniles ventriculos cruditatibus scatere, easq; ad appetitum dejiciendum haud parùm conferre, inficiari haud queam, id tamen absque difficultate evicturum me spero, illas non immediatam, quâ positâ ponatur sublatâque tollatur affectus iste senilis, constituere causam, sed quærendam potius eam in defectu spirituum animal. & lymphæ vitio. Clariùs id elucescet illicò si tum Naturalis appetitus stimuli que ad cibum capiendum causam, tum senilis corporis dispositionem animo priùs attento pensitaveris; appetit scil. homo benè & naturaliter constitutus novum cibum priori & cocto extractoque probè, & extraventriculi ambitum propulso, quoniam extillans tum expressaq; sub fibrarum ventriculum moventiù intumescencia & strictura exparsis per concavâ ejus superficiem glandulis lymphæ (cui menstrui dudum impositum nomen) non acida, aliquibus tamen iisque subtilissimis salium spiculis, (adeò subtilibus ut ne tenellas quidem linguæ papillas nerveas, gustûs organon, pungere valeant) ad falsi l. alcalini etiam classem referendis, tinctâ, nerveas nō orificii solùm superioris, sed totius gulæ ventriculiq; fibrillas blandè pungit & titillat; usq; dum ingesto denuò cibo in eum menstruum fibrillis relictis convertat, ipsiusq; nutritias partes extrahat. Nunc perpende mecum senile corpus tum qua solidas, tum qua fluidas partes haud adeò benè constitutum; fibræ

scil.



**scilicet** tum nerveæ tum carneæ, tanto temporis intervallo indu-  
 rescunt siccanturq; quod & vasa indurata in osseam duritiem  
 confirmant magis quam par est, earumque proin cavitas evadit  
 angustior, nec ea qua antea promptitudine transmittit spiritus;  
 qui non in debitâ quantitate generantur, lento, viscidior, & acti-  
 vis mobilibusq; partibus destituito sanguine eorum spirula non  
 nisi ægrè & parcius dimittente in secretoriis cerebri glandulis,  
 ex verò spirituû portiunculæ pauciores sese extricantes canales  
 nervorum tendinumq; subire tum elaterem suum obistam fi-  
 brarum duritiem & rigiditatem exere nequeunt consueto a-  
 liâs robore, tum blanda, tenui, subtiliq; lymphâ intus canalicu-  
 los nerveos aliâs oblinentè, atq; ad promptiorem spirituum un-  
 dulationem eos disponente, deficiente, præesse suis actionibus  
 debito cum vigore nequeunt, sicque ob alienum quoque vitium  
 sunt debiles; His præsuppositis anorexiæ senilis causa jam pa-  
 tet evidentius, cujus cruditates humoresque viscidi non nisi ef-  
 fectus sunt, spiritus nempe debiles, deficientes tum ob hoc suum  
 vitium, tum ob fibras nerveas exuccas subtilia spicula, si quæ ad-  
 sint non percipientes, fibrasque ventriculi motrices, quarum  
 motus & strictura adeò & chyli extractionem, & menstrui ven-  
 triculi in ejus glandulis secretionem aliâs promovet, non suffi-  
 cienter inflare & tendere valentes, accusandi sunt; Lympha ve-  
 rò, ut dictum, crassiuscula uti spiritus, ita & tenuia illa satis  
 spicula nimis involvit, occultatque, & eo ipso ad ciborum quoq;  
 extractionem minùs apta est ob suum lentorem. Talem verò  
 anorexiã nullo tolles vomitorio. Manet sua vomitorio, robusto  
 ventriculo juveniq; & cruditatibus scatenti admota, laus, nullus-  
 que sanæ mentis ea planè rejiciet, at! si perpendã agere ea fortio-  
 ra maximè, spiculis suis in motrices ventriculi fibras, usq; dum sese toties  
 & vehementer lacessiti contrahant fortiter, non sine communicatis toti  
 nervoso generi spasmis & constrictionibus, eo ipso planè persuasus sum  
 non solùm ea senitali non prodesse, sed & vehementer eum & periculosè  
 lædere, ad conatus extraordinarios insolitosq; debiles spirituû reliquias  
 fibrasque adigendo, non alio effectu, quam quod & reliquum spirituum  
 absumatur & nervosum genus magis debilitetur, eoque citius succum-  
 bat labascens corporis machina. Felicius v. progredieris in curanda tali  
 anorexia, si confortantibus, spiritus restituentibus & suscitantibus, inci-  
 dentibus, attenuantibus, calidioribus paulò remediis, nervoso  
 generi, debili ventriculo & desciscenti lymphæ  
 succurras.